



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus XLVIII. De pluralitate Beneficiorum Ecclesiasticorum, & Simonica &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

Pontifex per eum eleemosynam fructuum applicatio non sit nimis elargitur. Opinio hæc sua vera frequens, & in fraudem legis, ut non caret probabilitate, magis- alibi dictum est in libello In- que placet, siquidem ejusmodi *struck. pract. Ordin. &c.*

## CASUS XLVIII.

*De pluralitate Beneficiorum Ecclesiasticorum, & Simonia.*

**F**ormosus in minoribus Ordinibus constitutus per plures annos infervit cuidem Episcopo, intentionem habens pro suo servitio Beneficium aliquod recipiendi, quod idcirco etiam obtinuit ab Episcopo, sed cum id valde tenue esset, nec sufficeret ad congruam sustentationem paulò post aliud consequitur de se sufficiens, & satis pingue,

*QUÆR. I. An illa collatio primi Beneficii fuerit Simoniana, & si fuit, an Formosus nihilominus illud retinere possit, anue resignare teneatur?*

*QUÆR. II. An habens Beneficium insufficienti, & acquirens sufficiens, quoad residentiam, & servitium compatibile, teneatur dimittere insufficienti? Item an habens sufficiens possit obtinere etiam insufficienti?*

*QUÆR. III. An & in quibus Beneficiis dispensare possit Episcopus quoad eorum pluralitatem?*

<sup>270</sup> **A**nte resolutionem primi Q. Nota est, simoniam communiter defini, quod sit *studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Ubi verbum emendi, vel vendendi latè hinc accipiendum est, ita ut comprehendat omnem commutationem, sive contractum reciprocum; uti & nomen pretii, (sine quo emptio, & venditio esse nequeunt) ita scilicet ut comprehendat non tantum pecuniam, sed omnem rem temporalem & flumabi-

mabilem, vel utilem, quæ recipi pro re spirituali datur, vel accipitur per modum commutativæ compensationis ex iustitia. Unde AA. cum S. Th. q. 100. a. 5. pretium simoniæ dividunt. 1. In *munus à manu*, per quod non tantum pecunia intelligitur, sed omnis alia res quomodocumque pretio æstimabilis. 2. In *munus à lingua*, ut est laus, adulatio, preces pro aliquo interponendæ, ex vi pacti expressi, vel taciti, ut res aliqua spiritualis vicissim conferatur, v. g. laudabo, seu commendabo te apud Principem, si Ecclesiasticum Beneficium mihi conferas &c. 3. In *munus ab obsequio*, per quod intelligitur omne aliud obsequium, seu servitium alicui præstitum, vel præstandum sub obligatione conferendi aliquod Beneficium Ecclesiasticum, vel aliam quamcunque rem spiritualem. Demum ipsum vocabulum *munus* ita accipiendum est, ut non significet donum liberale, & gratuitum, sed potius debitum iustitiæ commutativæ, seu onus aliquod, & gravamen, quod pro servitiis, obsequiis, ac tributis, tanquam ex iustitia debitum præstatur, atque exigi solet.

Unde ad constituendam Simoniam communiter DD. tria requirunt, scilicet 1. pactum emptio- nis, venditionis, aut similis alterius commutationis. 2. Pretium, quod consistit in re temporali.

3. Mercem, quæ in illa est res spiritualis, aut spirituali annexa.

Notandum 2. Simoniam aliam esse juris naturalis, & divini, quando scilicet pro re temporali datur res de se verè Spiritualis, aut huic annexa, v. g. gratia sanctificans, Sacramenta, consecratio, benedictio, Ecclesia, Ecclesiastica jurisdictio, officium spirituale. Aliam esse juris Ecclesiastici minus propriè dictam, quando una res spiritualis, aut spirituali annexa datur pro alia spirituali, aut huic annexa, qualis committitur in permutatione Beneficiorum Ecclesiasticorum propria authoritate facta, & in illorum resignationibus confidentialibus &c. Ultraque hæc simonia subdividitur in internam, & externam. *Interna* est, quæ in sola mente, sive interno animi proposito committendi simoniam consistit. *Externa*, quæ in actum externum exit: quod dupliciter fieri potest, vel cum aliquo pacto expresso, vel tacito interveniente, vel nullo interveniente ejusmodi pacto. si prius contingat, *Simoniam conventionalis* appellatur, quæ duplex est, una purè conventionalis, cum ex neutra parte rei traditio secuta est; altera mixta, cum vel traditio rei temporalis, sive pretii tantum facta est, nondum tradita re spirituali. Vel vice versa traditio rei spiritualis facta est, nondum tradito temporali pretio. Si posterius, seu si

nullum ejusmodi pactum intercedat, & res spiritualis in compensationem temporalis, aut hæc propter rem spiritualem acceptam, quasi ex debito detur, committi dicitur *simonia mentalis*, sic dicta, non quod in sola mente seu proposito committendi simoniam consistat, sed quod talis sit, quæ transit in opus externum, quod, licet exterius nullo modo, nec per se nec propter adjuncta, simoniacum appareat, ex sola tamen intentione, & affectione tale est, v. g. si quis rem spiritualem alicui conferat, quasi eam ex justitia debeat pro obsequio v. g. ipsi exhibito, licet nulla nec expressa, nec tacita pactio antecesserit: Et vice versa, si quis rem temporalem alicui conferat, quasi ex obligatione justitiæ eam debeat pro re spirituali sibi ab altero collata, vel cum intentione obligandi ad reddendam vicissim rem spiritualem nullo tamen pacto expresso, vel tacito interveniente. His notatis.

272 Ad 1. Q. R. eam Beneficii collationem Formosæ factam probabilius simoniacam fuisse; nam licet simoniacus non sit, qui gratis, & absque ullo pacto alicui servit, aut obsequia præstat cum spe, ut in eorum remunerationem ad Ecclesiasticum Beneficium præsentetur, aut instituatur, uti cum Gloss. in *cap. cum essent, de Simon.* notant Sylvest. *V. simonia,*

q. 16. Suarez *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 45.* Valentia *D. 6. q. 16. p. 3.* Palao *de Simon D. 3. p. 4.* Laym. *l. 4. tr. 10. Cult. §. 3.* alique communiter, eò quod obsequia in tali casu non habeant rationem pretii, sed solum concilient benevolentiam, à qua procedit gratuita Beneficii collatio, vel præsentatio: Nec possit esse emptio, & venditio, seclusa omni pactione.

Nihilominus in posito casu servitium Formosæ non videtur præstitum fuisse, absque pacto saltem implicito, & simonia mentali; uti colligitur ex dictis; nam ut notant Barbol. in *c. 12. n. 4. b. tit.* Suarez *cap. 39. n. 7.* Laym. *l. c. Matthæuc. Pirhing. n. 7.* Engl hic *n. 12.* Schmalzgr. *n. 28.* & alii, Simoniacus mentalis efficitur ille, qui absque omni salario, aut cum nimis modico inservit Episcopo nullo quidem pacto, vel conventionem externa verbis vel signis facta, eo tamen animo, & intentione, ut pro mercede ei conferatur Beneficium; ex tali enim modo serviendi spectatis circumstantiis plerumque, si non semper, nasci videtur obligatio remunerandi per collationem Beneficii, quod serviens intendit, qui non censetur omnino gratis inservire, ut colligitur etiam ex eo, quod si tales per servitia non obtineant, quod desiderant, statim prorumpant in murmuræ, & conquerantur &c. Unde re-  
ctè

Etè observavit Less. l. 2. c. 20. dub. 20. Obsequia, uti & munera, tametsi gratis præsentur, cum spe consequendi Beneficium Ecclesiasticum non vacare periculo; tum propter Scandalum, & speciem intervenientis Simonix; tum quia munera excæcant, & inducunt in peccatum acceptionis personarum, ut eligatur persona minùs digna cum violatione justitiæ distributiæ. Porro notanda hîc est etiam propositio sequens ab Innoc. XI. damnata, quæ est n. 45. inter prohibitas, & ita sonat. *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, si temporale non datur tanquam præmium, sed tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale.*

Supposito ergo, quòd Formosus per eam Beneficii collationem effectus sit Simoniacus mentalis, quæritur ulterius, an nihilominus collatum sibi Beneficium retinere possit, annue illud resignare teneatur? Ubi.

273 Non nulli apud Dianam tr. 4. *Miscell. R. 168.* cum Soto *de just. lib. 9. q. 8. a. 1. ad 2.* Major. in 4. dist. 25. q. 1. a. 7. *Medin. l. 2. cap. 14. §. 21.* Adrian. *quodlib. 9. putantes Simoniam etiam mentalem inducere pœnas in Simoniacos constitutas obligant Formosum ad Beneficium resignandum; Quia cum etiam usurarius men-*

talis teneatur ad restitutionem, secundum *cap. consuluit de usur.* non est, cur etiam Simoniacus mentalis non subeat pœnas à jure statutas, inter quas etiam est, ut Simoniaci electio, institutio, & quævis alia provisio ad Beneficium Ecclesiasticum ipso jure nulla sit, ita ut per eam provifus nullum jus consequatur; imò inhabilis fiat, quominùs per dispensationem Episcopi id Beneficium consequi possit. *C. nobis fuit, de Simon. C. ult. de elect. & Extrav. cum detestabile 2. §. per electiones &c.*

Nihilominus contrarium tenendum est cum S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. Suarez l. c. c. 55. Navar. *man. c. 23. n. 102.* Less. l. 2. *de just. c. 30. not. 2.* Palao tr. 17. D. 3. p. 22. Laym. l. 4. tr. 10. c. 8. Monacell. p. 3. tit. 1. form. 22. n. 12. Matthæuc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 38.* Pirhing. n. 152. Engl. n. 33. König n. 21. Wiestn. n. 80. Diana l. c. Schmalzgr. n. 244. aliisque communiter asserentibus pœnas, quæ de jure Canonico in Simoniacos sunt constitutæ, nullatenus tangere reos Simonix mentalis. Id, quod colligitur ex *cap. fin. b. tit.* ubi Gregorius IX. ait, *eo casu sufficere, si ita delinquentes per solam penitentiam suo satisfaciant Creatori.* Et ratio ulterior est, quia non constat huic Simonix constitutam esse in jure aliquam pœnam, sed potius contrarium  
Pp 3 colli-

colligitur ex citt. C. fin. nec con-  
stitui expediebat, quia licet Simo-  
nia mentalis prodeat in opus ex-  
ternum, scilicet in ipsam dationem,  
vel receptionem rei temporalis  
pro Spirituali, cum tamen fiat  
sine pacto, & intentio, per quam  
delinquit dans, vel accipiens, sit  
occulta, Simoniaca labes non fa-  
tis proditur, ut Ecclesiæ potestas  
de ea cognoscere, & judicare  
queat, ac propterea frustra ei infli-  
geretur pœna.

Ex quibus constat Formosum  
per eam Beneficii sibi collati ac-  
ceptionem pœnam juris in Si-  
moniacos Statutam non incurris-  
se, atque adeo non teneri illud  
resignare, sed retinere posse, suffi-  
cereque, si pro commisso Simoniæ  
delicto per pœnitentiam suo Crea-  
tori satisfaciatur.

Quam sententiam docet etiam  
Sanch. *in opusc. l. 2. c. 3. dub. 105.*  
*n. 5.* Ubi ita ait: si quis servivit  
Episcopo animo interno recipien-  
di Beneficium, ut pretium servi-  
tium, & Episcopus ei contulit Be-  
neficium animo etiam interno sol-  
vendi illi servitium: at externè  
nullum etiam implicite intertuit  
pactum, sed uterque finxit gratis  
facere, recipiens Beneficium non  
tenetur illud resignare, nec Epi-  
scopus solvere servitium; quia so-  
lùm fuit Simonia mentalis, quæ  
ad restitutionem non obligat.  
Hæc ille.

Neque obstat hic usurarium men-  
talem teneri ad restitutionem jux-  
ta rationem, suprâ in contrarium  
allatam ex citt. *Cap. consuluit;*  
nam id intelligitur de casu, quo  
mutuatarius dat coactè ratione  
mutui; secus quando liberè, &  
spontè dat, esto mutuans iniquam  
habeat intentionem recipiendi ra-  
tione mutui, ut multis allegatis  
docet Garcia *de Benefic. Cap. 1. n.*  
*47. & 48.* item Valen. *D. 6.*  
*q. 16. p. 6.* aliisque citt. Et ratio  
est, quia in usura efficitur injusti-  
tia involuntariè danti ultra for-  
tem: in Simonia autem solùm  
fit injuria rebus Sacris, quatenus  
tractantur, ac si forent vena-  
les.

Ante 2. Q. Responsionem notan- 275  
dum est, alia Beneficia dici *incom-  
patibilia*, alia *compatibilia*. Compatibilia  
dicuntur, quæ vel nullam vel  
non impossibilem residentiam  
exigunt, atque ideo simul obti-  
neri, & retineri possunt. In-  
compatibilia sunt ea, quorum sin-  
gula per se, vel naturali jure,  
vel jure communi Ecclesiastico,  
vel ex consuetudine, Statuto, aut  
Fundatione continuam residen-  
tiam personalem postulant, [ac  
propterea simul obtineri, vel re-  
tineri, saltem sine dispensatione,  
non possunt, uti sunt duo Epi-  
scopatus, duæ Abbatix, duæ Pa-  
rochiæ, duæ dignitates, duæ per-  
petuæ vicariæ, & Cætera curata  
Beneficia; uti & Beneficia unifor-  
mia

mia sub eodem tecto, v. g. duo Canonicatus ejusdem Ecclesiæ; secus si sint difformia, v. g. dignitas, & simplex Canonicatus, quæ proin possunt simul retineri, nisi alicujus Ecclesiæ obstet specialis constitutio, vel consuetudo. Hoc notato.

276 Ad 2. Q. An habens Beneficium insufficienti, & acquirens sufficiens, quoad residentiam & servitium compatibile, teneatur insufficienti dimittere? Affirmativè respondent Garcia 11. p. cap. 5. n. 303. & 319. Flamin. de refig. l. 5. q. 6. n. 116. Hojeda de incompatibil. Benefic. p. 2. c. 19 n. 1. Wiestn. hîc n. 198. & alii, contententes, obtento primo Beneficio insufficiente, si secundum sufficiens obtineas, vacare ipso jure primum insufficienti per obtentionem secundi.

Probant ratione desumpta ex Tridentino Sess. 14. cap. 17. de Ref. ubi ita Statuit: *Ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat, nihilominus aliud simplex sufficiens eidem conferre.* Ubi per tò aliud sufficiens intelligit S. Synodus aliud, quod non se solo, sed simul cum simplici Beneficio ante obtento congruam constituat sustentationem, eò quòd finis Concilii sit, ne quis duo Beneficia habeat, quorum alterum sit suffi-

ciens: ergo Beneficia illa incompatibilia sunt, ac proin uno obtento, vacabit alterum. Unde

Idem asserit Garcia l. c. n. 319. de duobus Beneficiis simplicibus insufficientibus legitinè simul obtentis, scilicet dimittendum esse alterum, quando alterum, tempore collationis, non fuit quidem sufficiens, postea tamen auctis redditibus se solo sufficiens evasit.

Nihilominus oppositum docent Azor p. 2. l. 6. c. 10. q. 3. Fagn. in c. cum jam dudum 18. h. tit. n. 57. & 58. Barbof. in c. 28. eod. n. 18. sed pro declaratione Jur. Eccl. l. 3. c. 13. n. 179. Pirhing, hîc n. 186. Schamb. n. 36. idque secundum Palaum probabilius tr. 13. D. 6. p. 3. §. 6. n. 13. ubi id arguit, & probat ex C. Tridentino l. c. ibi enim dicitur, quòd si Beneficium collatum alicui non sit sufficiens ad honestam sustentationem, liceat aliud simplex sufficiens ei conferre: ergo supponit Concilium ex retentione primi insufficientis non impediri secundi sufficientis collationem. Nec obstat, inquit, quòd unum tantum Beneficium Ecclesiasticum sufficiens singulis sit conferendum, quominus habenti insufficienti possit sufficiens conferri, quia defacto ei confertur unicum Beneficium sufficiens; aliud namque insufficienti ei non confertur, sed collatum supponitur.

Alii

Alii eam reddunt rationem, quia qui habet primum non sufficiens, justè petit secundum, ut congruam habeat sustentationem, cum Tridentinum id ei permittat: ergo etsi secundum per se solum sufficiat, non tamen ideo privandus est primo insufficiente; quia quod legitime factum est, poenam non meretur; præsertim cum Tridentinum nusquam circa hoc suam mentem clarè explicet, atque adeò cum lex non sufficienter promulgata non obliget, dicendum est, non dari in eo casu obligationem resignandi insufficientem Beneficium prius obtentum, sed posse retineri absque dispensatione Apostolica, vel Episcopali. Id, quod confirmat consuetudo, quæ in multis Provinciis jam invaluit, ut habenti primum insufficientem adiciatur à Dioecesum Ordinariis sufficiens, ut notant citt. DD. quæ ubi invaluit, rectè servari poterit, utpote optima legum interpres.

277 Ad alterum Q. memb. R. spectato jure communi obtinentem primò Beneficium sufficiens non posse obtinere secundum insufficientem, & si hoc obtineat contra Canones, primum ipso jure vacare. Ita citt. DD. cum aliis, & sumitur ex Trident. l. c. decernente, ut unum tantum Beneficium singulis conferri debeat. Neque obstat, quòd habens insufficientem, aliud se solo sufficiens petere, & obtinere possit, juxta

prius dicta; nam istud petens jure petit, non autem jure petit aliud Beneficium ille, qui jam habet unum ad congruam sustentationem sufficiens.

Dixi spectato jure communi; nam, ut ex aliis notant Witsn. hïc n. 198. & Schmalzgr. n. 97. multis in Provinciis jam invaluit consuetudo, vi cujus Beneficium simplex ad sustentationem obtinenti aliud insufficientem à Dioecesum Ordinariis conferatur absque obligatione prius obtentum dimittendi, quam consuetudinem non improbant etiam Garcia l. c. n. 273. & Rebuff. hïc n. 29. qui ait, ubi hæc viget, opus non esse dispensatione, eò quòd in tali casu ipsa consuetudo dispentet.

Ad 3. Q. R. Episcopum non 278 posse dispensare in pluralitate dignitatum, Personatum, Beneficiorum curam animarum habentium, neque ut quis obtineat duo, vel plura Beneficia uniformia sub eodem tecto; quia hæc pluralitas lege Pontificia interdicta est, *cap. de multa, de præbend. extrav. execrabilis.* Neque potest modò dispensare, ut quis plura, quam duo Beneficia in diversis Ecclesiis obtineat, etsi duo prius obtenta simul sumpta non præbeant honestam sustentationem, ex Trident. l. c. n. 3. ubi dicitur: *Episcopus potest conferre secundum Beneficium, si primum non sufficit ad sustentationem;*  
sed



sed si duo non sufficerent, non potest conferre tertium absque dispensatione Apostolica; nisi fortè contrarium per rationabilem, & legitime præscriptam consuetudinem inductum esset.

Neque potest dispensare ad duo simplicia, si utrumque requirat residentiam, ex Trid. l. c. Neque in pluralitate Beneficiorum sufficientium, tamen si personalem residentiam non requirat utrumque; quia citt. Trident. Statuit, ut unum tantum Benefi-

cium Ecclesiasticum sufficiens singulis conferatur. Quocirca Episcopus solum tibi concedere potest duo Beneficia, (præscindendo à consuetudine) compatiblea, seu difformia sub eodem tecto, dum modo ita provisus iis indigeat ad honestam vitæ sustentationem, non tamen duo incompatiblea, nisi solum sint incompatiblea jure Dicecesano. Item duo simplicia insufficientia in diversis Ecclesiis, si utrumque residentiam incompatibleam non requirat.

## CASUS XLIX.

### De Electione promovendorum ad Beneficia Ecclesiastica.

Mortuo nuper Udalrico Episcopo convocantur à V. Capituli Decano omnes Capitulares, quibus jus eligendi competit, ad novum Episcopum eligendum. Comparent omnes die ac hora constituta, ubi media Electorum pars Ambrosium Canonicum eligit, altera media pars Dionysium, sed æqualibus votis: Ad secundum igitur scrutinium proceditur, in quo major pars in Ambrosium, ut digniorem conspirat, quod advertens Titus Canonicus, ipse quoque ad potiorem partem suò suffragiò accedit, licet ipse Dionysium digniorem judicet, easque habere qualitates, quas requirit *Cap. cum in Cunctis 7.* videlicet, *etatis maturitatem, gravitatem morum, & litterarum scientiam*: Unde eligitur Ambrosius non invitus, sed tacitè Episcopatum desiderans.

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

Q9

QUER. I.